

כְּפָסֶם אַלְרֹהִיךְ  
DISSERTATIO GRADUALIS  
DE  
LIBRIS  
IN  
CODICE HEBRAEO  
CITATIS

Quorum existentia in dubium vocatur.

QUAM,

*Ex consensu Ampliss. Facult. Philosoph. in florentissimo  
ad Auram Athenaeo,*

Sub PRÆSIDIO

*VIRI AMPLISSIMI atq[ue] CELEBERRIMI,*

D<sup>n</sup>. CAROLI ABRAH.  
CLEWBERG,

L. L. Q. O. & Graec. PROFESS. Reg. & Ord.

*publico examini modeste subjicit*

MAGNUS HAGRENIUS,  
*SMOLANDUS,*

In Auditorio Majori ad Diem XVI. Julii  
Anni MDCCLIV.

Horis Pomeridianis Solitis.

---

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.  
Finland, JACOB MERCKELL.

Dem Wohlgebohrnen Herrn  
Herr J O H A N J.  
Von FINCKENBERG,  
Seinem Hochgeschätzten Gönner,

KANSALLI  
KIRJASTO

**D**e Je zeit meines Lebens ist bissher nichts anders als ein Wechsel des Glücks gewesen. Mein Schicksal hat mich verordnet viele gemüther zu erfahren / weil meine Wohlfart auf ihrer Gunst / gewissermaßen / gebauet zu seyn geschienen. Dieses hat mich gelehret erzeugte Wohlthaten hoch zu achten / und deser gedächtnis immer zu behalten. Gleich wie Ew. Wohlgeb. haben mir viel gutes zu thun aus grosmüdigkeit angefangen / ehe noch mein nahme ihnen kaum bekant worden; finde ich mich verpflichtet / jederzeit bedacht zu seyn / wie ich meine dankbarliche erkäntnis zu verstehen gebe. Habe mich darum unternommen gegenwärtige arbeit, als ein dankbares denckzeichen / Ew Wohlgeb. aufzuoffern. Der Allerhöchste wolle mit allem erpriestlichen Heil des Leibes und der Seelen Ew. Wolgeb. saint Dero vornehmen Angehörigen über schütten. Ich verharre

Dero

ganz gehorsamster diener,  
MAGNUS HAGRENIUS.

I. N. J.

S. I.



Uando Scripturam Sacram pro uno respicimus fonte, unde omnis salutis nostræ notitia est haurienda, tales illi adscribamus, necesse est perfectionem, ut omnia, quæ unquam necessaria sunt, absque errore contineat; alias enim vel erronea, vel mutila esset notitia. Contra hanc veritatem Pontificii, ut notum est, quæ unquam possunt, afferunt argumenta, quo integritate Codicis S. suspecta & dubia redditæ, felix traditionibus illorum detur successus. Hunc scopum eo certius ut attingant, duplarem præcipue incedunt viam; alteram, qua omnem textus, quem nunc habemus, authenticæ certitudinem evertere conantur, plurima in illo loca permutata ac corrupta esse impudenter proclamantes; alteram, qua multos Hebræorum libros canonicos temporum injuria periisse, & hinc adeo mutilatam esse Sacram S. ut verae religioni addiscendæ ac conservandæ haud sufficiat, adstru-

A

vnt.

unt. *Prius horum attingere nostri jam non est instituti, de altero autem, quantum ratio fert, nostrum faciamus judicium, ut & veritati de antiquis, quos hodie desiderari dicunt, libris satisfiat, & illibata stet S. Scripturæ integritas.* Tantum tamen abest, ut nos, omnes antiquorum Judæorum libros ad nostras manus pervenisse, statuamus; ut proflus aliam, soveamus sententiam, multosque tam profanos quam Sacros periisse, citra omnem dubitationis aleam possumus esse credamus. Hoc enim non solum Judæi pariter ac Christiani concedunt; verum &, aliter si esset, ipsa S. Pagina hujus rei satis superque nos convinceret, quum multi citentur libri, quos tamen in S. Scriptura frustra quæsiveris; etiamsi negari non debeat, quosdam horum, diversis in locis, diversis, pro substrata materia, insigniri nominibus, ac propterea pro deperditis sine ratione haberi; quum in ipso Codice S. inveniantur. Utriusque rei veritatem ex S. Sacra desumpta sequentia exempla probabunt.

## §. II.

סְפִר תֵּישָׁרֶת De hocce libro, qui binis in locis citatur, videlicet 2. Sam. I: 18. & Iol. X: 13. multa sane occurruunt sententiarum divortia: inter omnes tamen, quantum nobis notum est, convenit, peculiarem innui librum: *Scipionem Sgambatum si excepis, qui modo peculiari verba ista reddit textus Hebrewi:* הֲלֹא חַיَا כְּתוּבָה עַל סְפִר תֵּישָׁרֶת Nonne haec Hebreia scripta est iuxta narrationem rectam (a), quanquam mirum

mirum videtur, huic vero, alias non ineruditio, expositionem placuisse, a phrasi hebraica, si aliæ considerantur circumstantiæ, hoc loco proflus alienam & quorundam veterum sententias, vel satius conjecturas, ac si intelligendus esset liber æternæ prædestinationis vel liber duodecim Prophetarum, quæ tamen a Sixto Senensi satis refelluntur (3). Itas ut evolvamus opiniones, quæ proprius ad veritatem accedere videntur. Haud parvum est agmen eorum, qui hunc librum ad huc in S. Codice extare putant, alio solummodo nomine insignitum; quinam vero sit, de eo non contentiunt. R. Chija statuit, intelligendum esse librum trium Patriarcharum, Abrahami, Iacobi & Jacobi, sive quod idem est, librum Genesios, quatenus horum vitæ & res gestæ ibi inveniuntur litteris consignatæ, aniam ut putat, natus ex Num. XXIII: 10. ubi post factam Jacobi & Israël narrationem legitur; וְיָשַׁרְיָהוּ (γ) Huic feso adjungit Raschius, qui Genesin etiam purat innui (δ) Kimchius vero, contentu nixus paraphrastæ chald: Vbi 2 Sam. 1: 21. habetur סִפְרָא דָאוֹרִיתָא i. e. liber legis, ut & Abarbanel per librum Recti Deuteronomion intelligunt. Hisce, ut plures taceamus, contentit etiam Ecclesiæ Doctor Hieronymus (ε) Altera familia eorum est, qui tam ex judæis, quam maxime Christianis periisse librum hunc statuunt. Apud Gersonidem הַנֶּגֶת סִפְרָא תְּרוּמָה אֲחַשּׁוֹם שְׁהִיא וְאַבְרָהָם חַזְלָזָה: נִקְרָא כֵּן Ecce de libro recti potest, quod hoc nomine vocatus sit, (aliquis liber) qui periit in capti-

*captivitate.* In eadem versantur sententia recentiorum plurimi (ζ) Cum quibus & nos non sine causa facimus. Quando videlicet inter sece ea conterrunt loca, ubi hujus libri sit mentio, liquide apparet, ad peculiarem quendam librum haberis respectum; alias sane erroris convinci possent auctores librorum Iosuæ & II. Samuelis, qui ex libro nunquam existente diserta adferunt verba: quumque præterea in dicto libro ea fuere scripta, quæ in S. Codice iisdem verbis nullibi occurrunt, non dubitamus affirmare, hunc inter vere deperditos merito esse reterendum. Quodnam vero hujus libri præcipuum fuerit argumentum, non ita facile dici potest: Alii de carmine unico vel epicedio, in tunere recti cuiusdam viri recitato, accipiendum statuunt; alii vero, qui ad veritatem proprius accedere videntur, collectionem carminum variorum intelligi volunt: non enim solummodo metrica sunt, quæ exinde utroque loco citantur, verum & adeo diversas continent res, ut in uno carmine vix exstare possint. Huc referens videtur Arabs, ad 2. Sam. I: 18. qui librum Samueli tribuit, & librum חסבהתה canticorum I. laudum exponit. Sic & Syrus ad Jol. X: 13. ספוא רתשבחהhabit. Iden confirmat locus 2. Sam. I: 18. ubi, nisi omnia fallunt, minime מִנְחָה de arte jaculandi, ut vulgo exponitur, intelligendum, sed de canto quodam, cui nomen *arcus impositum*, adpellatione defumta ab iis, quæ infra v. 22. de Jonathanis arcu leguntur.

(α) In archivis vet. T. p. 265. (β) Bibl. Sanct. libr. 11. pag.

*II. pag. m. 160. (ג) זורה עבורה c. 2.. (ד) Comment. ad Jos.  
X: 13. & 2. Sam. I: 18. (ה) ad Esa. XLIII: 22. (ו) And.  
Masius. Job. Claudius, Calovius. &c.*

## §. III.

**E**orum, qui in S. Scriptura citantur, librorum; sive deperditi sint, sive sub alio nomine exstant, de quovis tamen variae dantur doctorum sententiae; ita haud paucis visum est, peculiarem, nunc temporis deperditum librum indigitari 1. Sam. X: 25. ubi leguntur verba: וירכ רמיאל אל העם את Hæc **משפט המלכה** ויכתב בספר ווינה לפנֵי יהוה: inquam verba materiam fecere Philologis de libro Judicij regni disputandi: qua de re in varias ac diversas abierunt sententias tam Judæi, quam Christiani; R David Kimchi scribit חק המלוכה שכתובה לטעה: משפט המלוכה חק המלוכה שכתובה לטעה: **Ratio regni significat statutum regni super populum**, sicut scriptum est superius. Quomodounque intelligenda sint hæc verba, nam & de hoc controvertitur, perspici tamen facile potest, Librum Judicij Regni, secundum auctoris mentem in ipso Codice S. contineri. Eandem fovent sententiam, quodquot inter **משפט המלך** quod Cap. VIII: 11. seqq. existat & **משפט המלך** cuius mention fit C. X: 25. nullum admittunt differimen (א) Ab hisce vero discedunt non pauci, aliud quid verbis citatis innui persvasi, quorum agmen dicit Isaac Abarbanel, cuius verba ita latine audiunt: **Jus regni significat**, prout scribit R. Levi Ben-Gerson, **testatem**, quam rex habet in populum, & pœnam convenientem illi, qui voluntati ejus repugnat, ut & le-

„& leges, quibus ipse est obnoxius. (& mox) Hoc  
 „non continentur in parscha antecedente, quam  
 „propeluit illis Deus Benedictus ad terrorem & ti-  
 „morem illis incutiendum, sed fermō est de jure  
 ejus legitimo (2) Ex variis huic sententiae addētis  
 Pontificiis sufficiat enumerasse verba Sancti: Scri-  
 psit ergo Samuel leges, haud dubie ex Divino præ-  
 scripto, in quibus tam Regi, quam populo, rei  
 communis & publicæ proponeretur forma. (& pau-  
 lo post) Quid de libro actum sit, ignoramus. Hi-  
 ice vero, quatenus a veritate aliena sunt, rejectis;  
 prior nobis arridet opinio, qua statuitur, *iudicium*  
*regni* nihil aliud esse, quam *iudicium regis* a Samuele  
 descriptum. Neminem enī, qui filium orationis  
 rite perpenderit, fugere potest, consilium Itraélita-  
 rum de eligendo rege, Deo quam maxime discipli-  
 cuisse; qua propter Samueli dicit מֶלֶךְ שָׁמֵן  
 :—<sup>עַל־יִשְׂרָאֵל</sup> Quo vero a malo suo proposito avoca-  
 rentur, jussit ut *מֶלֶךְ שָׁפֹט* morem, *consuetudinem*,  
 vel *fus regis* illis annunciatet Samuel. At cum ne sic  
 quidem a proposito possent dimoveri, permisit qui-  
 dem Deus regem illis præfici. Quæ tamen antea  
 ipsis prænunciaverat, de *juribus moribusque regis*, jam  
 repetita & litteris consignata, juxta arcam recon-  
 denda curavit, eorum ne obliviouserentur. Hic ri-  
 tus etiam cum aliis libris canonis oblervatus est,  
 quam in rem bene Cl. *Surenhusius*: „Mōlen omnia  
 „verba Dei atque omnia jura prius enarrasse po-  
 „pulo, & postea illa scriptis consignasse, populo,  
 „illa omnia approbante, & observationem in se fu-  
 scipien-

Sciپiente patet ex Exod. XXIV: 3, 4, 7. quibus.<sup>c</sup>  
cum conferri possunt ea quæ traduntur Exod. XX:<sup>c</sup>  
21, 22, 23. (y).

(a) Jo. Leusdenius in Philologo hebr. diff. IX. Abr. Calovius in Bibl. illustratis &c. (b) Comment. ad Prophetas minores super 1. Sam. X. 25. (y) in libro καλαλλαγῆς p. 631.

## §. IV.

**E**X dictis facile patet, interisse quidem libros quosdam veterum Hebraeorum, non tamen omnes, qui in S. Codice citantur & pro desperditis a quibusdam habentur; Nunc vero ulterius nobis inquirendum est, an iacturam quandam exinde fecerit S. Scriptura. Hoc quidem negant cordati omnes, recte affirmantes, tot extare libros canonicos, quot ad œconomiam salutis addiscendam sufficiunt: in duas tamen abeunt partes; quidam enim libros quosdam vere canonicos periisse statuunt. In his est Whitakerus, qui dicit; nonnulla jam desiderari, quæ olim in Canone scripturaræ fuerunt (a) & alio loco; Sed tamen affirmamus illum canonem, qui remanet esse sufficientem, & omnia necessaria continere (b) & joh. Pineda, de quo Hottingerus: Afferit quidem amissos esse libros nonnullos vere aliquando canonicos; affirmat tamen, nullum videri inconveniens, quod liber qui aliquando fuit de canone, id est Divinæ

fidei & auctoritatis, proptereaque utilis & ad Ecclesiarum ædificationem opportunus, postea intercederit, & amplius non existet, quia videlicet sequenti tempore, vel non tam utilis vel non tam necessarius, vel propter alium providentiae Divinæ finem, ita tamen, ut ille usus, quem habebat in Ecclesia, possitallis suppleri ( $\gamma$ ). Ne vero hac ratione adversariis copia fiat S. Scripturam cavillandi, cautius loquendum aliis videtur. Adfirmant igitur, nullum librum canonicum hodie desiderari. Ita ex veteribus Origenes ( $\delta$ ) & Augustinus ( $\epsilon$ ) quorum vestigia presumunt recentiorum perplurimi, inter quos, Salmeronis verba audiamus. Si canonici ejusmodi libri existissent, ecclesia non tuisset depositi, sibi a Deo traditi, fidelis custos, juxta illud 1. Tim. VI: O Timothee, depositum custodi. Cumque liber canonicus nihil aliud sit, quam certa regula credendi, & vitam legi conformem instituendi; facere iacturam unius libri canonici, nihil aliud est, quam regulam vivendi iuxta Dei præceptum, amittere ( $\zeta$ ).

( $\alpha$ ) *Contra Stapleton.* & *Bellarminum controv. qua. 8.*  
 6. C. 9. ( $\beta$ ) *Camer. in operib. p. 473.* ( $\gamma$ ) *Thes. Philol. p. 133 134.* ( $\delta$ ) *in praefat. Cant. Cant.* ( $\epsilon$ ) *Lib. 18. de civitate Dei Cap. 38.* ( $\zeta$ ) *prol. 9. Can. 4.*

### §. V.

**C**ontra veritatem cœlestem inimica quidem haud videntur ferre arma, S. Scripturæ qui defendunt

dunt integritatem, licet libros quosdam, olim vere canonicos amissos esse concedant. Tuttius tamen & rectius, secundum nostram sententiam, altera inceditur via, nullumque librum vere canonicum hodie desiderari adseritur. Si enim Deus tot olim tradidisset ecclesiae libros scriptierni canonis vim habituros, ut eorum quidam sine detimento perierint: sequitur Deum in designando canone superfluum fuisse, eosque libros, quibus carere possumus, sine ratione in canonem retulisse. Sin vero statuatur, fuisse quidem illos utiles ac necessarios, ita tamen, ut vera salutis cognitio, quæ unicus est omnium finis, hisce deperditis, qui tamen conservati, non minorem, ac ceteri, lucem tuissent allati, ex reliquis hauriri possit: vel igitur Judæi in illis conservandis minorem adhibuerunt diligentiam, vel etiam Deus peculiari providentia ut perrirent permisit, vel potius curavit: quod tamen utrumque absonum est statuere. Nos igitur in ea verlamur opinione. omnes veteris Ecclesiae libros canonicos ad nostras pervenisse manus: non quidem ita, ut Ezra una cum Synedrio magno, primus certum instituerit canonem, sed libros, ab ecclesia jam antea pro canonicis habitos, colligerit, & ad fidem exactiorum exemplarum corixerit, quam in rem Lœlcherus, Res ipsa ita nos sentire jubet, existisse a Mosis usque a tate libros canonicos, interna luce ac dignitate sua a primo ortu pro Divinis habitos, qui in priori templo  
in

in ipla fœderis arca recondi solebant. His alii, ex quo scripti publiceque leſti & pro Divinis agniti sunt, paulatim accessere, non Etræ Judicio aut Synagogæ vel Synedrii paſtis decretisve, sed universaliter totius ecclesiæ agnitione & usu, donec Malachiæ libro canon veteris testamenti clauderetur.

SOLI DEO GLORIA.

